

qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra : Spiritus, et aqua, et sanguis : et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est : quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio [*Al. add. suo*]. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum : quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam : qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis : ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. Et hæc est fiducia, quam habemus

ad eum : Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus, quia audit nos quidquid petierimus : scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis. Omnis iniquitas, peccatum est : et est peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex Deo sumus : et mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. **B** Filioli, custodite vos a simulacris. Amen.

Explicit epistola B. Joannis apostoli I.

possit, sacrorum codicum inquisitor, cl. libri ejus editor march. Scipio Maffei, nihil quod ad illud tes-

timonium conferret, in Notis ad eum locum reliquum fecit.

B. JOANNIS APOSTOLI

INCIPIT

EPISTOLA SECUNDA.

Senior Electæ dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes, qui cognoverunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, a Christo Jesu Filio Patris, in veritate et charitate. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre. Et nunc rogo te, domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum ; et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis [*Al. audisti*] ab initio, in eo ambuletis : quoniam multi se-

ductores exierunt in mundum, qui non constentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et Antichristus. Videte vosmetipsos, ne perdati quæ operati estis : sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

Explicit Epistola B. Joannis apostoli II.

B. JOANNIS APOSTOLI

INCIPIT

EPISTOLA TERTIA.

Senior Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere sicut prospere agit anima tua. Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimo-

nium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et